

Ibid. Tab. CCL. quod exhibet, Marmore Romano, pluribus figuris ornato, quas inter Serpens grandis, ac tortuosus, in tripode se gyrans, proxime apposito cornucopiæ, cum subscriptione: D. is M. anibus. GENIO AUGG. LAR. SAL. FORTUNATUS AUG. LIB. Non pro Diis habebantur Serpentes, attamen cen Vitæ, cujus origo Genius esset, pervagato Symbolo adhibiti sunt. Quocirca etiam *Virgilius*, eleganter descripto serpente, qui visus erat Aeneæ, de hoc cecinit:

Aeneid. L. V. v. 25.

Incertus, *Geniumve* Loci, famulumve Parentis
Esse putet.

DIALOGUS XXVII.

De Plutone, atque Inferis Diis.

PUBLIUS.

I. TAB. V. N. XVI. **N**UMUS tuus Decimus sextus *Plutonis* me commonet, quoniam Vir seminudus in eo confidens, modiumque in capite gestans, & hastam sinistra sustinens, dextra pateram tenens, ante se tricipitem bestiam, quasi Cerberum habet. Epigraphæ Græcæ est: ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ; h. e. *Hadrianopolitarum*. TULL. Cl. *Frælicius* hunc *Gordiani Pii* Numum vulgans, æque Plutonem, ac Cerberum, hic agnoscit: quamvis, juxta ipsum, Cl. *Harduinus* in alio simili *Trallianorum* Numo potius Jovem *Κυνέερα*, sive *Venatorem*, cui tres canes abblandiantur, intelligi voluerit. Hic namque ait, capita tria uno collo excrescunt: quod monstri fabularii certissimum signum est. Alioquin tetrum, funestumque hoc Numen rariùs in Numis, frequen-
tius

Appendic. Urb. Græcar. n. 230.

tius tamen in Anaglyphis, Gemmisque, ac Tabulis comparet, sine Cerbero tamen vix agnoscendum.

Poëtarum æque, ac Mythologorum, consensu *Pluto* cum *Jove* commiscebatur, licet ejusdem, ac *Neptuni* frater confictus fuerit. Habebatur pro Terra, quæ cunctis elementis in se obscurior, profundo tamen in recessu suo rerum omnia Semina, & metalla cuncta complectitur, præterea cadavera omnia intra se recipit. Immo habebant ipsum ut Solem occiduum, atque hybernum, qui noctu, & hyeme, Semina in terra excoqueret, ut verno, æstivoque tempore in frondes, flores, ac fructus protuberarent. Nocturna quoque fulmina eidem tributa sunt, olimque amplius fere, ac *Jupiter*, colebatur, propter auguria, quæ noctu ex fulguribus capiebantur.

Pluto dictus est a græca voce Πλῆθος, h. e. Divitiæ: nam veteres uni Terræ divitias deputabant: cum omnia contineat, ac proferat, unde homines ditescunt. *Februus* deinde a purgationibus, & lustrationibus funerum. Apud Poëtas *Jupiter infernus*, *Niger*, *Stygius*: *Dis* quoque, velut per syncopen *Dives*. Præterea *Quietalis*, quod morte quietem omnibus afferret. Demum & *Summanus*, quasi *Summus Manium*, nempe defunctorum. Testimonia fabularum, ac Nominum, vide apud *Pitiscum*. Hic solam *Lachefin*, primam Parcarum, ex *Claudiano* produco, ut *Plutonem* alloquitur:

II.

III.

Lex. Antiqu. Voce *Pluto*.

- - - - - O maxime Noctis

Arbiter, Umbrarumque potens, cui nostra laborant

Stamina, qui finem cunctis, & semina præbes,
Nascendique vices aliena morte rependis:

Qui vitam, lethumque regis. Nam quidquid
ubique

Gignit materies, hoc te donante creatur,

Debeturque tibi certis ambagibus ævi.

De Raptu Proserpinæ
L. I. v. 55.

PU.

LIBR. I.
 CAP. I. S.
 10.

PUBL. Obsecro te, nihilne de *Plutone* Dominus *Pluche*? TULL. Dum is *Gentium* tacuit, quia nihil de eo fabulati sunt Poëtae, contra de *Plutone* multis disseruit, ac docet, quæcunque postea de *Plutone* nascebantur somnia, certocertius provenisse ex antiquissimis omnium *Gentium* ritibus, mortuos curandi. Cum namque hominibus, tam ante, quam proxime post diluvium viventibus, & necdum a vero Dei cultu per idololatriam averfis, ex Lege Naturæ, Majorumque suorum perpetua Spe, immortalitas Animæ, Corporumque Resurrectio, suo modo constarent, etsi nequaquam tanto, quanto deinceps in Lege scripta, cumprimis vero Gratiæ: ab origine Mundi apud omnes Gentes invaluisse fletum super defunctos, ritumque, eosdem cum honore sepeliendi, Sacroque Anniversario lugendi, quodamque modo expiandi. Nullatenus enim rationi congruit, putrefaciendis carnibus, & aridis ossibus, tantum honoris decernendum fuisse, si eorundem corruptio perpetua, & nunquam reparanda, tum credita esset.

V. Ipsa porro de immortalitate spes, ac fides, persvaserunt facile proborum, & improborum disparem a morte conditionem, docuitque sana ratio, ad Justitiam Dei pertinere, ut bonis præmium, pœnamque malis decernat. Docendi fuere de hoc rudes certis imaginibus, & ritibus, ob literarum ac scripturæ defectum. Quare ulterius docet ex *Diodoro Siculo*, quomodo in Aegypto apud Memphim curati sint mortui: quod pariter in aliorum Locorum Sepulturis communibus, licet modo aliquantulum vario, est observatum.

VI. Area, corporibus humanis adsignata, erat post Lacum aliquem grandiozem, *Acheruse* dictum, ab Hebreo *Acherei*, h. e. postea, & *ish*, i. e. Homo, quasi *postrema hominis conditio*. Ad litus hujus Laci erigebatur tribunal, adducto cadavere: ubi rigidi Judices inquirebant de vita, moribusque defuncti. Si debitis obæratu inveniretur, corpus ejus Creditoribus traditum, actamdiu sepultura privatum, donec misericordia propinquorum, vel amicorum, delectis ejus nominibus, redimeretur. Si legibus patriis inobediens, & Reipublicæ noxiu fuisse convinceretur, cadaver ejus foetidum infamemque in locum, sine honore abjectum fuit,

fuit, cui *Tartaro* nomen erat a *tor*, i. e. *semper gemere*. Circumdatus fuit hic locus imaginibus ejusmodi, qui perpetuum sic abjecti, tam conscientiae, quam poenarum tormentum, symbolice adumbrarent: Utre nimirum undique perforato, quem aqua, semper infusa, nunquam tamen repletet: Rota, quae sine quiete, ac termino curreret: Saxo rotundo, quod montis cacumini maximo nisu advolutum, illico tamen proprio pondere relabretur.

Qui porro vel accusationibus caruit, vel Propinquorum opera, & studio ab omnibus criminationibus iniquis rite purgari potuit, retulit sententiam honesti funeris, panegyri laudatus est, ac votis optimis affectus. Navitæ postea, cum cymba præstolanti ad litus, commendatus, ac traditus est: qui tamen adeo inexorabilis fuit, ut, more antiquissimo in posteriora secula traducto, ne Regium quidem funus absque Judicum sententia reciperet. Receptum autem, trans Lacum vexit in Regionem, omnium ejus Provinciae amoenissimam, pratis, rivis, ac lucis ornatam, dictam *Elysium*, i. e. *Habitationem quietis, voluptatis, deliciarum*. Nauta dicebatur *Charon* i. e. *ira*, vel *vindicta*: Cymbæ nomen erat *Baris*, a *ber* h. e. *Sepulchrum*.

Effossa terra, & concamerata, immissoque cadavere, defunctus a Propinquis, & Amicis, valedicendi causa, tertium propter amoris vehementiam, inclamabatur, cum voto terræ levis, terque arena conspergebatur. Quo ritu in longos posteros perseverante, suo tempore *Virgilius* cecinit:

- - magna Manes ter voce vocavi.

Et item *Horatius* Carmin. Libr. I. Od. XXVI I.

Injecto ter pulvere.

Quoniam deinde apud Aegyptios nullum animal *Cane* gratius, & acceptius erat, ob Stellam Syriam, sive *Caninam*, de Nilo tam fideliter præmonentem: non modo his Campis Elysiis, verum etiam sepulchris ipsis, ac Mausoleis, deinceps erigi coeptis

VII.

VIII.

Aeneid.
L. VI.

ptis, Custodis loco addebatur Canis, unicus quidem, trino tamen capite, ob triplicem prædictam defuncti acclamationem. Appellabatur *Cerber*, a *ceri*, h. e. clamare, & *ber*, h. e. sepulchrum, quasi *Clamator Sepulchri*, Nihil porro in his omnibus improbi, quæ, salvo undique veri Dei cultu, in figura, & ænigmate, Judicium ejus a morte de hominibus præsignabant.

IX. Ut autem *Osiris*, *Ifts*, *Horus*, qui ad ferias publicas, & anniversarias, itemque Actiones Oeconomicas, in singulos menses Populo prænunciandas, jam cum hoc Zodiaci signo, jam cum alio, quod Sol eo mense percurrebat, publice proponebantur, amisso vero, & innocuo imaginum sensu, accipiebantur ut veræ Personæ, olim viventes: facile successit fatuitas, atque dementia credendi transmigrationem animarum in has, illasve bestias, donec in iisdem piacula sua eluentes, tandem in Signis Zodiaci tanquam Dii locarentur.

X. Quæ singula, sapienter a Domino *Pluche* animadversa, tibi que compendio a me percensita, si eadem prudenter expenderis, nullo negotio te docebunt, quæ universi fabularii *Plutonii*, ac inferi Regni comminiscendi occasio exstiterit. Facile fuit, inventis antiquissimis addere, maxime, quando Poëtæ plena fingendi licentia utebantur, irentque ingenii sui libidine, quo velent, nemini rationem dicti sui reddere obstructi. *PUBL.* Teneo certe originem Judicum inferni, qui dicebantur *Aeacus*, *Minos*, & *Rhadamantus*: item *Acherontis*, *Charontis*, cymbæque ejusdem, *Cerberi*, Furiarum ac poenarum *Sysphi*, *Tytionis*, *Ixionis* &c. *Tartari* præterea, & *Elystorum* camporum: quibus alia sexcenta impotens mentiendi apud Vates petulantia, & extrema in plebibus ignavia credendi, superaddiderunt.

XI. *TULL.* Opera pretium est, ut adhuc de *Plutone* atque *Proserpina* Principibus Inferni, breviter audias *Eusebium Pamphilum*, ita tradentem: „ *Proserpina* quidem virtus illa *Seminum*, *Pluto* vero „ Sol est, terram subsiciens, atque occultum percurrens orbem, hy- „ bernumque solstitium. Atque idcirco ab eo raptam *Proserpinam* „ dicunt, quam sub terra latentem *Ceres* quæritat. „ Belle huc consonat elegantissima illa *Zona* cujusdam *Statuæ*, *Romæ* reperi- „ tæ, sed capite, brachiis, cruribus truncatæ. Illam *Celeberr.*

Mont-

Montfalconius pulchra icone spectandam curiosis omnibus reddidit ex *Aleandro*. Superior *Zonæ* hujus pars *Proserpina* factum a *Plutone* raptum exhibet, cum aliis pluribus figuris. Inferior per ordinem in *Scutulis* juxta se positis omnia duodecim *Signa Zodiaci* recta linea representat. *Perspicue* sane hic edoceris, *Plutonem* pro *Sole* hyberno habitum esse, itemque occiduo, aut etiam diurno tempore, in imis terræ visceribus, universa, quæ germinant, ac pariunt, sæcundante. Deinde *Ostrin* *Aegyptium*, adjecto semper alio *Zodiaci* *Signo* exhibitum, etiam *Plutoni* prima incunabula sua dedisse.

Tom. I.
Part. I.
tab. XLI.
n. I.

DIALOGUS XXVIII.

De Numis Herculis, ejusque fabulis.

PUBLIUS.

ERuditissimo Viro Domino *Pluche* citra dubium pronum pariter fuerit, *Herculis* quoque, tantopere suis a laboribus decantati *Numinis*, consimilem e simplicibus imaginibus ortum reterege. *TULL.* Quidni? Adnotasse ipsi suffecit, imaginem *Hori* *Aegyptii* obarmati tum expositam fuisse, quando singulariter truculenta, & immanior aliis bestia, vel etiam crudelior quispiam latro, aut prædo insurrexit, ac damna plurima dedit. Adversus talia namque peculiaria *Monstra* hominum, vel animalium, dum toto exercitu ire supervacaneum esset: expositus *Horus* clavatus, quando latro debellandus erat, pharetratus vero, si bestia terribilior conficienda, cujuslibet *Venatoris*, aut *Militis* audacissimi evocator exstitit, ut animum colligeret, iret vel solus, vel paucis parvis animi comitibus assumtis, patriamque hac noxia peste liberare conaretur.

I.

Libr. I.
Cap. II.
§. 20.